



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE OMNES CHRISTIFIDELES TEMPLUM PAROECIALE DEO
DICATUM IN HONOREM S. VINCENTII DE PAUL

LOCO VULGO DICTO «BYDGOSZCZ» IN ARCHIDIOECESI GNESNENSI

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Omnes Christifideles dum invitamus ad sanctitatem et proprii status perfectionem prosequendam, singulari ratione communitatem ecclesiam Gnesnensem intuemur, cuius Archiepiscopus Venerabilis Frater Henricus Muszyński, cleri populique sibi concrediti vota interpretatus, rogavit ut templum paroeciale Deo dicatum in honorem s. Vincentii de Paul loco vulgo dicto «Bydgoszcz» in ista archidioecesi titulo Basilicae Minoris exornaretur. Nos quidem illi petitioni libenter obsecundamus atque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consultu, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine statuimus ut sacra haec aedes ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Maii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.* ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana